



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

Spanheim, Ezechiel

Amstelodami, 1671

II. Ad Seriem & Historiam Augustarum. De appellatione Augustae,  
Consularis, Caesarissae; ac honoribus Mulierum apud Romanos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12878**

ptus D. N. GLYCERIUS P. F. AUG. Unde liquet hunc Anthemii temporibus, non *Cæsarem* solum, ut eum vocat Marcellinus Comes, sed *Augustum* etiam renuntiatum, quem è Cæsare factum postea Episcopum, & mox à Nepote occisum tradit: Alter itidem aureus penes illustrissimum Colbertum, cum inscr. D. N. THEODEBERTUS VICTOR, & in averfa parte Victoria & litteræ VICTORIA AUGGG.

2.  
Ad Seriem  
& Histo-  
riam Au-  
gustarum.

AUGUSTARUM vero seriem luculentam iisdem nummis acceptam ferimus, & earum quidem, quarum tenuis aut nulla etiam mentio in priscis veterum monumentis. In illis certè videas Cæsarum Uxores, Matres, Avias, Sorores, Filias, Neptes; neque solum earundem imagines, sed nomina insuper, dignitates, & supremi fastigii vel insignia vel appellationes. Neque mirum honorem illum habitum Feminis Cæsarum sanguine aut adfinitate conspicuis, quum aliis matronis apud Romanos Senatoria & Consularia quoque ornamenta legamus nonnunquam concessa. Eximius hanc in rem Lampridii locus in Elagabalo, *si unquam aliqua matrona Consularis conjugii ornamentis esset decorata.* Nèc facile quisquam mirabitur ea ætate, qua libertis aliisque sortis vilioris Prætoria aut Consularia ornamenta frequenter decreta legimus, iisdem quoque nobiliores aut gratiosas Matronas insignitas. Ita mentio earum mulierum occurrit apud Ulpianum, quæ Senatoriis ornamentis decorabantur; *Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusque sexus; item earum qua ornamentis Senatoriis utuntur.* Unde ille Lampridii locus, qui magno Casaubono unicus videbatur index huius moris, & ipse vicissim Ulpianus non parum illustrantur. Exemplum quoque illius præbet sub Elagabali Principatu mater Hieroclis, foedissimi cujusdam man-

L. 106. D.  
de verb.  
figr.



mancipii, quam Dio refert in Excerptis Valefianis, Pag 766.  
 militari satellitio in urbem deductam, inter Confularium matronas habitam fuisse: hoc nempe, quod aiebat Lampridius, *Consularis conjugii ornamentis decoratam.*  
 Quo spectare præterea observo, quod tradit Procopius Arcan. Hist. c. 11.  
 de Theodora vilissimo antea scorto, eam ante nuptias à Justiniano evectam ad dignitatem Patritiatus, *εις τὸ ἑπαρχικὸν ἀξίωμα.* Hinc *maritalia* etiam matronarum L. 11. de Cultu Femin.  
*decoramenta* apud Tertullianum: *Aut quid minus habere infelicissima illa publicarum libidinum victima, quas si que leges à maritalibus & matronalibus decoramentiis coërcebant.*  
 Alias Confularium Feminarum mentio non semel in libris Juris Civilis, quas *Confularium uxores* explicat ipse Ulpianus, qui & *consularis earum dignitatis* alibi meminit. Notat enim nuptas prius consulari viro, postea ad inferiores nuptias devolutas, impetrasse rarissime, L. 1. D. de Senat.  
*ut in Consulari maneat dignitate, ut scio Antoninum Augustum Julia Mammaeæ Consobrinae suæ indulisse.* Haud dissimile exemplum in Lucilla observat Herodianus, L. 12. D. de Senat. Lib. 1.  
 quæ cum L. Viri, Marci in imperio Collegæ, postea privati Pomponiani conjunx evasisset, Sellam tamen Imperatoriam, aliosque priores honores Augustæ, Commodi indulgentia retinuit. Unde quoque eadem mortua instar Augustæ consecrata, ut ex ejus nummis adhuc liquet, cum *DIVÆ* appellatione. Ut equidem minus jam mirum videatur, tot illustres Matronas intueri decoratas ornamentis Augusti conjugii, aliasve feminas iisdem Cæsaribus proxima necessitudine conjunctas, eademque ornamenta cum illarum effigie in Nummis adhuc hodie consignata; Puta nempe Sacerdotium, Carpentia, Consecrationes, Dearum epitheta, *MATRIS* item aut *ORBIS GENITRICIS*, *MATRIS CASTRORUM* aut *SENATUS* appellationio



lationes, AUGUSTÆ denique cognomen. De hac vero AUGUSTÆ appellatione familiari in earum Nummis, aut adnexis eidem privilegiis, illustris iterum apud Ulpianum locus; *Princeps legibus solutus, AUGUSTA autem licet legibus soluta non est, tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* Ratio nempe obvia, quod uxores rariis coronantur maritorum, ut loquitur Justinianus, aut ex Constitutione Valentiniani & Collegarum, quæ legitur in Codice Theodosiano, quia *Mulieres honore maritorum eriguntur.* Id vero singulari privilegio factum videas in iisdem Nummis, ut non tantum uxores Augustorum, sed Matres quoque eorundem vel Aviarum, AUGUSTÆ itidem sint appellatæ, licet alias nunquam Augusti conjugii consortes. Talis aut ANTONIA Cæsarum Avia, aut AGRIPPINA major ejusdem mater, aut tres JULIÆ, MÆSA, SOÆMIAS, & MAMMÆA, illa Avia, hæc Matres Elagabali & Alexandri; quomodo & HELENAM matrem à filio Constantino AUGUSTAM demum dictam tradit in ejus vita Eusebius, & arguunt superstites ejusdem Nummi. Accedunt eodem Filia, ut JULIA Titi, DIDIA CLARA Didii Juliani, & CONSTANTINA Magni Constantini, AUGUSTÆ in earundem nummis dictæ, haud aliter ac Neronis recens nata è Poppæa Filia, auctore Tacito. Insignes quandoque eodem honore Sorores Augustorum, ut MARCIANA, & ejus quoque filia MATIDIA; quibus itidem non Augusta conjugia, sed illa cum Trajano cognatio AUGUSTÆ nomen, ac Nummos cum eodem signatos conciliarunt. Hæc vero præter morem Romanorum & exemplum, qui Consularium Matres

L. 31. D.  
de Legib.

Nov. cv.

Lib. 11.  
tit. 1.

L. 1. §. 1.  
D. de Senat.

*Consulares dictas negantem novi Ulpianum, Consulares autem feminas dicimus Consularium uxores, adjecit Saturni-*



*mus etiam Matres, quod nec usquam relatum est, nec unquam receptum.* Unde alibi quoque Justinianus, solam Uxorem Consulis ad honores admittit Consulares, non autem illius Matrem, nisi eadem antea fuerit Consularis, aut iubente eodem Consule; Sorores vero, Nurus, aliaque necessitudines diserte excludit; *Mater vero si* Nov. cv.  
*Consul hic voluerit; nam neque Filia, neque Soror forte, neque Uxor filii, & multo magis si nec pertinens ad genus sit, hoc enim pure illicitum existebat.* Hinc etiam solæ dictæ ex feminis *Clarissima*, quæ nuptæ erant Senatoribus seu Clarissimis personis, non autem Clarissimorum filia, maxime si plebeiis jungerentur, ut alibi docet idem L. 8. D. de Senat.  
 Ulpianus. Indulgentiores itaque Cæsares in Adfines aut conjunctas, quibus præter Uxores, illud AUGUSTÆ cognomen, adnexaque eidem privilegia non semel detulerunt, & publicis etiam Nummorum monumentis tradi ad posterorum memoriam voluere. Alias *Augustarum, Consularium, aut Clarissimarum* feminarum exemplo, quibus desumptæ ab honore conjugum appellationes, *Curopolatissa* etiam dictæ sequiori ævo Curopolatarum uxores, qualis Anna Comnenorum Mater vocatur apud Nicephorum Bryennium. L. 11. cap. 7. Qua ætate etiam contigit, ut *Casarissa* dictæ sint Augustorum filia, exemplo filiorum, qui pridem illam Cæsarum appellationem erant sortiti, ut liquet ex Niceta aliisque scriptoribus Historiæ Byzantinæ. Immo nec illud prætereundum ex more superiorum temporum, quibus percussi vulgo Augustarum nummi, quod illa vel cognomina vel ornamenta non continuo tamen tributa sint mulieribus, quæ admixtæ videbantur in consortium principalis fastigii. Neque enim AUGUSTÆ vel omnes vel solæ Augustorum conjuges aut Matres, ut modo videbamus; sed quæ Cæsarum arbitrio & ca-



ritate ac decreto Senatus hac appellatione ornabantur. Adeo ut aliquot ex iisdem legamus illis ornamentis caruisse dum de moderandis potius, quam ampliandis illarum honoribus, Tiberium, Pertinacem, Claudium etiam, uxorum licet mancipium sollicitos accepimus. Ita AUGUSTÆ appellationem à Senatu delatam, Trajani Conjugem ac Sororem aliquandiu deprecatas docet Plinius in Panegyrico; in quam tamen annuente Cæsare easdem consensisse satis arguunt obvii adhuc illarum Nummi. Hæc enim omnia non aliunde certius hodie aut uberius, quam in residuis Nummorum monumentis legas, quibus pars illa HISTORIÆ AUGUSTÆ unice quasi & luculenter potest illustrari.

Neque refero tamen in hunc censum omnes illas vel Conjuges vel conjunctas priorum Cæsarum, MARTIAS, AURELIAS, COSSUTIAS, SCRIBONIAS, LEPIDAS, ARRICIDIAS, aliasque id genus ab Ænea Vico inter Augustas in serie XII Cæsarum depictas. Has quippe à prioribus curis Andrea Fulvii aliorumque acceptas fatetur ipse se necdum in Nummis reperisse. Neque enim aut Julii Cæsaris nondum firmata dominatio; aut Tiberii cum uxoribus ante principatum divortia; aut Caii in sorores amor; aut Galbæ ac Othonis in principatu cœlibatus; aut Vitellii breve imperium passa sunt Uxoribus vultus nummis consignari. Immo ne LIVIAM quidem, nisi ab excessu Augusti, in Romanis nummis depictam reperies, qui illam mortuo conjuge ex Testamento Augusti, in Familiam JULIAM nomenque AUGUSTÆ adsumptam, sub ejusdem JULIÆ AUGUSTÆ nomine repræsentant. Equidem mutationes nominum apud Romanos ex Testamento fieri solitas cum satis arguunt libri Juris Civilis, tum Dolabellæ apud Tullium exemplum, qui alte-

Tacit. Annal. 1. 8.

*Familiam JULIAM nomenque AUGUSTÆ adsumptam, sub ejusdem JULIÆ AUGUSTÆ nomine repræsentant. Equidem mutationes nominum apud Romanos ex Testamento fieri solitas cum satis arguunt libri Juris Civilis, tum Dolabellæ apud Tullium exemplum, qui alte-*